



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Mortificationes, & corporis afflictiones in honorem Deiparæ, n. 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

Duodecimum, Aduocata est nostra, Mater misericordiae, & Mater cunctorum viuentium.

Offic Eccl. Ad finem Corollae recitari poterit Salus Regina, cum adiuncta Oratione, vel Antiphona: Sancta Maria succurre miseris, iuuua pusillanimes, refoue stobiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto faemineo sexu, sentiant omnes tuum leuamen, quicunq; celebrant tuam sanctam commemorationem.

Oratio: Ora pro nobis sancta Dei genitrix. R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OKEMVS.

Offic Eccl. CONCEDE nos famulos tuos quasumus Domine perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, O gloriosa B. Maria semper Virginis intercessione a presenti liberari tristitia, & aeterna perfru laetitia. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Fidelium anima per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen.

MORTIFICATIONES, ET CORPORIS afflictiones in honorem Deiparae.

De obsequijs ad mortificatione spectantibus. SECUNDUM caput eorum, quae ad Virginis sanctissimae obsequium spectant, opera sunt, quae ad proprii corporis mortificationem faciunt; talia uero sunt poenitentiae opera, nimirum.

1. Ieiunium in peruigilijs festorum Virginis, & in die sabbati; qui, ut c. 29. diximus, multis nominibus ab Ecclesia est Deiparae dicatus uerum mox exempla multorum, qui sabbato ieiunabant, & beneficia Deiparae in eisdem afferemus.

Ieiunium uel abstinentia. 2. Ieiunium item, uel a carnibus abstinentia eo die hebdomadae, in quem singulis annis dies annunciationis Virginis, quando uera Dei Mater est effecta, incidit. quod multis est solemne; uel feria tertia, quae Virgini a Constantinopoli; uel feria quarta, quae Virgini a Carmelo est dicata: uel alia die pro cuiusque deuotione.

Bonauentura. 3. Quadragesimam, ciborum abstinentia, uel etiam Ieiunio peragere ante Virginis Assumptionem. S. Franciscus teste S. Bonauentura in eius uita, cap. 9. Quadragesimam in honorem Virginis a festo sanctorum Apo-

lorum Petri, & Pauli ad festum Assumptionis ieiunabat deuotissime: cuius pietatem peridem tempus imitari aliqua ratione possumus, ut si per aliquod impedimentum ieiunare non liceat, liceat saltem in eius honorem aliquam ciborum abstinentiam facere. S. Elisabetha Lusitaniae Regina a festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistae ad festum Assumptionis Deiparae pane tantum & aqua ieiunabat auctore Petro Perpiniano orat. i. laudationis in eandem.

4. Ad haec cilicium, uel cingulum cilicium subinde gestare.

5. Disciplinae funiculis se ipsum caedere.

6. Vigilijs, & lecto duro corpus suum castigare.

7. Peregrinationem Lauretanam, uel alium virgini dicatum locum suscipere, & similia in honorem Virginis praestare.

8. Nec minus grata erunt Virgini ea, quae ad interiores animi passionum mortificationes faciunt, cuiusmodi est iracundiae, superbiae, ambitionis motus coercere, carnis illecebras fugere, alienos defectus patienter ferre, suos non excusare; in uestibus, & cibis humilitatem, ac paupertatem omni fastu, & luxu remoto sectari, in operibus uilibus, & abiectis se exercere. Cum ordinarijs uero precibus coniungendas esse corporis afflictiones ad beneficia a Deo efficacius impetranda, nemini, qui spirituales res degustauit, dubium esse potest. Refert S. Bonauentura in cap. 3. medit. uita Christi, B. Virginem cuidam personae sibi deuota (quam ipse putat fuisse sanctam Elisabetham) haec uerba dixisse: Filia dico tibi, quod nullam gratiam, donum, uel uirtutem habui a Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrimis, & multa afflictione dicendo, cogitando semper placita sibi, sicut sciebam, & poteram, excepta, sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris. Et addidit: Pro firmo scias, quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem: haec ibi.

EXEMPLA, QUI IEIUNIUM, uel alia precantia opus propter Deiparam exercebant.

18 Obsequium uero precum, ac ieiunij praesertim die sabbati in Deiparae honorem